

fo du wilt acht haben auf Missethat. Verbum **שמר** *observavit*, rigidam hic judicalemque denotat de-  
 fectorum observationem, & quasi consignationem, secundum omnes loci, temporis, personarum &c: circumstantias, examinationem, satisfactionis alienæ recusationem, pœnæ promeritæ adjudicationem, severam sententiæ latæ executionem, &c. Nam sicut aliàs **שמר** est *vigilum* in omnes latebras ac angulos intentorum, item *pastorum*, gregis sui morbos, damna, pericula ac commoda attendentium, &c: ita & hic Deo tribuitur ut *judici* visitanti, *Exod.* XX, 5. *Jes.* XIII, 11: nil agenti obiter, nihil prætermittenti, nihil condonanti, abscondita in luce vultus sui ponenti, *Psal.* XC, 8. in fasciculo servanti & recondenti, *Hof.* XIII, 12. ad memoriam revocanti, *Pf.* CIX, 14. rependenti, *Jer.* XVI, 18. (vide *Dorsch. i. theol. Zach.* p. 83) confer *Cob.* V, 7. altus superior altô observat. Oppositum *observationis* asservationisque hujus est *remissio*, *versu* 4.

**יה** *Domine*: nota compellationis subjectissimæ geminationem, dum voce hac **יה** contentus non fuit David, sed alteram mox subjuxit **יהוה** *Domine*, q. d. si fervos tuos singulos excipere volueris tam rigide, *dominari* iisdem defines citissimè.

**מי יעמיד** *quis poterit subsistere?* (*Campensis*.) h. e. omnibus omnino hominibus à tribunali tuò abeundum erit ad æternos inferni carceres, nemo ut innocens perstabit, nemo ut victor obtinebit in tuo forò, nemo apud te erit in gratiâ, nemo evadet pœnam. Ita namque *Standi* verbum idem aliàs est ac, consistere erectum, benè habere, in statu felici constitutum esse, (*Dan.* XI, 2.) *Pf.* CXI, 3. 10. non succumbere oneri, nec deficere, *Num.* XVIII, 23. non perdi, *Jes.* XXVII, 9. *Hof.* X, 9. *Amos.* V, 1. VII, 2. 5. sustinere judicis conspectum, *Apoc.* VI, 17. *Ezech.* XXII, 14. *Nab.* I, 6. *Mal.* III, 2. 1. *Sam.* VI, 20. *Esr.* IX, 15. *Psal.* V, 6. LXXXVI, 8. Denique interrogatio affirmativa æquipollet categoricæ neganti: nemo consistet; ut *Cob.* VII, 13. quis potest rectum facere, &c: *Psal.* XIX, 13. peccata quis intelligit? &c. Confer *Job.* IX, 3. si voluerit litigare cum eò, non poterit ei respondere ad unum ex mille. item *c.* X, 14. & *c.* XIV, 17. *Psal.* CXLIII, 2. ne intres in iudicium &c.

EXPLICATIO VERSUS IV.

**כי** *quia*: pertinet hoc ad petitam superiùs *vers.* 2. exauditionem, ita ut remotâ rigidâ iniquitatum observatione (*vers.* 3.) provocetur ad benignam Dei condonationem, q. d. cujus est condonatio, ejus etiam est clamantium contritorum exauditio; atqui Dei solius est condonatio, &c: *E. Campensis* ita neçtit antecedentibus: *quare hoc potius sequere, quod genuinum est tibi, ut remittas &c.* Alii: *certe, sed sine necessitate.*

**עמך** *tecum*: tanquam apud fontem omnis gratiæ unicum, inexhaustum, æternum, supremum. **עם** notat h. l. *ἐν τῷ ἀγγέλιῳ*, sicut *Deut.* VIII, 5. & cognoscis **עם** *cum corde tuo*, i. e. in corde tuò, ut ibidem *vers.* 3. præcesserat. Sic & hoc loco *vers.* 7. **יהוה עם** misericordia, &c. Non male hoc illustrat *Kimchi*, & quidem ex mente parentis sui, *Josephi Kimchii*, quod licet angelis Deus potestatem dederit in terris patrandi magna atque multa, non tamen concesserit facultatem remittendi peccata. Ita & *Rasche* meminit **יהוה שליח** *legati*, quod

nemini hoc committat Deus; quorsum citat illud *Exod.* XXIII, 21. non **שני** condonare poterit prævaricationi vestræ. at impertinentissimè. Syrus **מן לוותר** *à se.*

**הסליחה** *condonatio*: quâ scilicet tum culpam, tum pœnam remittis resipiscentibus, citra ullum interveniens ipsorummet meritum, solum ex gratiâ, in throno gratiæ, Messia scilicet, fundatâ. Ita Deus & alibi vocatur Deus **סליחה** *Nehem.* IX, 17. & *Dan.* IX, 9. dicitur: Domino Deo nostro miserationes **יהוה סליחה**, *Psal.* LXXXVI, 5. tu, Domine, bonus es & **סליחה** confer *Psal.* CIII, 3. **הסולח** cunctas iniquitates tuas.

**ורא** *ut timearis*: (*Pagninus*.) vel secundum *Campensem*: *ut sic ad sinceram venerationem tui invites*. Sensus est: propterea tam benignè deprecantibus condonare soles, non, ut in malitia eosdem confirmes, aut impunè pergere permittas, verùm ut tanto alacrius mente gratâ tibi post impetratam veniam inferviat; cum aliàs, si omnis spes veniæ abesset, ab hominibus instar tyranni solum metuereris; imo pergerent ipsi in peccatis suis, quamdiu modo possent. Item tu, ac præter te nemo, *remittis peccata*, ut tibi etiam tui atque soli omnis deferatur religio ac cultus. Huc illud *Luc.* VII, 47. de dilectione, veniæ consequente fructu. Judaicè R. *Aba in Midrasch*: tecum condonatio à principiò anni ad usque F. Expiationis, (*Lev.* XVI.) ut illo die te timeant homines: quo de festò, Judæorumque in eo superstitionibus *Buxtorf. synag.* c. 21. & *Scheringham. tit. Joma.* Syrus hæc planè omisit, fortè quia LXX. vidit alienos esse à fontibus **ἐνεκεν τῷ ὀνόματός σου**, vel secundum al. **νόμος σου**. Vulgatus: *propter legem tuam*. De quâ varietate vide *Capell. crit. f. 227*, latius. item *Morin. exerc. bib. p. 122. seq.* Malè autem à Papistis inferri ex doctrinâ gratiæ mortum licentiam, ex h. l. docet *Camero oper. f. 699.*

EXPLICATIO VERSUS V.

**קיותי** *expectavi Dominum*: h. e. ut ut clamantem me (*vers.* 1.) non è vestigio exaudiat, (*vers.* 2.) nec mihi iniquitates ex gratia remissas, opere ipso testetur: (*vers.* 3. 4.) non tamen propterea animum despondeo, verum clementiæ ipsius inexhaustæ memor (*vers.* 4.) imperterritus in meis precibus conceptaque fiducia persevero, certus de securura ope, tempore oportuno mihi que commodo. Confer *Prov.* XX, 22. **קיותי** Dominum, & salvum faciet te: item *Psal.* XXV, 5. 21. XXVII, 14. XXXVII, 34. XXXIX, 8. XL, 2. *Hab.* II, 3.

**יהוה** *Dominum*: fuit hoc, ex mente *Cajetani*, ex præviâ *Veniæ* ubertatè, ita tamen, ut David non dicat se expectare veniam, sed ipsum *Veniæ* datorem, secum peccatorum veniam ferentem, h. e. adventum *Messia*. Proindeque velut *Parenthesi* includit; *quia tecum condonatio, (propterea timeberis,) speravi Dominum &c.* Res ipsa in se bona atque certâ; de nexu non adeo videtur disceptandum.

**נפשי** *anima mea sperat vel expectat*: h. e. imò seriò & ex animo spero, non nudis verbis ejusmodi affectum præ me fero aut simulo, hanc namque exaggerationem facile licet colligere ex collecta antecedente subjecti totius mentione. (*ego expectavi*.) cum hac subjunctione partis

C e c c c ; principa=